

tatem semper euitabit: quod inter cætera optimum erit remedium ad omnes suos affectus abolendos. Sitque quàm fieri potest, cibus quàm maximè simplex, vniufq; naturæ: quod quidem ficut est Principibus & Regibus difficillimum, propter inueteratam & malam consuetudinem, ita etiam perniciosissimum est. Nihil enim magis facit ad cruditates, ad corruptionem, putredinemque, & ad deprauatos humores in corpore multiplicandos quàm ciborum varietas & multitudo: confunduntur enim plurima diuersissimarum naturarum, quæ dum inæqualiter concoquantur distribuunturque, necessariū est vt inde labor caloris innati consequatur, & varia vitiorū genera in succo illo tam diuerso. Admonemus igitur, & deprecamur suam S. M. vt velit in hoc Regium morem exuere, & in opipara regali mensa vnum tantum eligere, quod sibi pro fame sufficiat, illudque sit leue, & quod facile concoquatur, facileque distribuatur, & optimum sanguinem generet: quales sunt omnes carnes pullorum, perdicum, phasianorum, hædorum, vitulorum, castreorum iuuenum, oua recentia tremula, vel sorbilia. Panis ex purissima farina sit, bene fermentatus, & mediocriter salitus. Ab omnibus antiquis carnibus, & sale maceratis abstinere, ab oleribus præcipuè crudis, à fructibus horariis, à piscibus, præcipuè qui in stagnis degunt, aut paludibus: ab auibus etiam quæ palustria incolunt loca, vt sunt anseres, anates, & huiusmodi, à leguminibus, à pastilibus, à lactiniis, & præcipuè à caseo, à frixis in sartagine. Hæc omnia S. R. M. sua auerfetur. Vinum eligat clarum mediij coloris, vel etiam album, non acidum, neque astringens, sed bene maturum, mediocriter vinosum: & omnino euitabit mustum & vina turbulenta. Quod si etiã vindemiæ tempore vinum conficeretur cum salua & betonica, illud esset præstantissimum, præterquam quod gustui non esset iniucundum. Sed non est omittendum, tanquam parui momenti, quod vt sua M. quotidie habeat beneficium alui, diligenter opera danda est, imò inter præcipua hoc animaduerti debet: hoc enim studio adhibito, distrahentur vapores, qui ad caput continuè feruntur. Si igitur natura faciat quantum oportet, nil vltra molendum: sin minus, laudo vt semel, aut bis, aut quoties opus fuerit in septimana sumat terebinthinæ Cypriæ, quæ facile habebitur Venetiis: vel interim, dum non habebitur, laricinæ, quæ habebitur facile, pondus drach. duarum manè tribus horis ante prandium. Hoc enim remedium non tantum molliet aluum, sed etiam obstructions aperiet, membra præterea naturalia, membraque neruosa corroborabit, vrinam prouocabit, vtero conferet: ideo, me iudice, prætermitti non debet. Hæc summam dicta sint pro tota victus ratione: quæ si diligenter à Maestate sua obseruabuntur, tam erunt efficacia, vt fortè sola horum ope præseruetur, & immunis futura sit ab omni affectu, de quo nunc conqueritur. Hoc tamen si non fecerit, vel magis, vt futurum credo, non adeò exquisitè obseruet, alia proponam, quæ in aliis duobus curandi instrumentis, pharmacia scilicet & chirurgia, consistunt. Quantum ad phar-

A maciam attinet, laudo vt bis singulis annis purgetur, Autumno & Vere. Ex his enim annuis purgationib. præseruari solēt homines à grauissimis etiam morbis, quemadmodum erat sententia Galeni in libro de Sanguinis missione. Et quamuis immensa penè euacuandi materia sit, nihilominus tamen proponam, quod mihi cōgruum videtur, & quod erit tanquam intentionis exemplum.

R. Calsiæ ʒj.

Specierum hieræ ʒj.

B Fiat bolus, tribus horis ante prandium sumendus. Deinde

R. Mellis rosati colati,

Syrupi de cichorea Nicoli sine rhabarbaro ana ʒj.

Decoctionis cetrach

Capillorum veneris in aqua boraginis destillata ʒiij.

Misce pro vno, & sic pro aliis septem. Deinde

R. Rhabarbari ʒj.

C Spicæ gr. vj.

Infundantur in decoctione florum cordialium per horas decem, & facta diligenti expressione, colaturæ adde confectionis hamech ʒiij. syrui rosati solutiui ʒij. Misce, & fiat potio danda in aurora cum custodia. Et iste esset purgandi modus satis facilis & expositus. Placeret tamen, vt sanguis quoque in purgatione Veris mitteretur à basilica sinistra lateris, cuius quãtitas sit ad vncias viij. vel vncias x. In Autumno postea peracta euacuatione prædicta præter sanguinis missionem, summo perè placeret, vt sumeret per duos vel tres dies infrascriptam decoctionem, quæ apud me longo experimento probata est ad melancholicos succos sine aliqua molestia euacuandos, lienisq; affectus egregiè remouēdos: cuius dosis quidem communis est, vnciarum vj. Est tamè pro natura vniuscuiusque consuetudine & ætate limitanda, cuius descriptio talis est:

R. Myrobalanorum omnium ana ʒs.

E Contundantur grosso modo, & fricentur manibus cum oleo amygdalarum dulcium. Infundantur per 24. horas in libris vj. aquæ fumiterræ destillatæ. Postea

R. Epithymi,

Thymi,

Polypodij,

Foliorum senæ,

Liquiritiæ ana ʒvj.

Seminum citri ʒij.

F Corticum radicum ellebori nigri ʒiij.

Bulliant omnia simul ad consumptionem mediæ dietatis, deinde quiescat donec refrigeretur decoctum, postea coletur & fortiter exprimatur, & addito zuccharo sufficienti dulcescat, & cum oui albumine purificetur, & leui decoctione facta syrupizetur & seruetur ad vsum. Postea R. huius decoctionis ʒvj. aut v. aut quatuor, aut quatum expedire videbitur. Iulep rosati ʒs. Misce, fiat potio danda in aurora, poteritque dari vel alternis, vel singulis diebus secūdam euacuationis quantitatem, augendo vel minuendo dosim, prout euentus ostendet. Et hæc de purgationibus ordinariè per singulos annos faciendis. Sed quoniam